

123

V  
39.





~~B. X. 6.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
V. VITEBERG.  
39. 

---

SIGNAT. clōlōCCCCXIII.

*3 ym v. / 1742*





Bibliotheca Hungarica  
officiis Samueli Franck  
Widuius Jönnöriensis  
et S. Caroli 1798.



N. 3267

Joh. Chph. Lichtner De natura lucis.  
- - - - - theoria luminis.

Jac. Thomasi contemplatio luminis.

Matth. Bucholdi contemplatio luminis.



77

Σὺν Θεῷ ἀποφασί!

THEORIAM

# LUMINIS

autoritate, & decreto

Inclutæ Facultatis Philosophicæ

*Pro Loco*

in eadem consequendo

P. P.

M. JOHANN-CHRISTOPHORUS

Sichtner /

Bohemus, Collegii Principis Collegiatus.

a. d. XVI. Decemb.

H. L. Q. S.

---

LIPSIÆ,

*Charactere Wittigauiano*

A. O. R. cl. l. c. LIV.

2







Quòd PATER LUMINUM benè vortat!

DE

# LUMINE

Exercitatio Phÿfica.

Antelogii vicem.

**L**UMEN, ut Lucis effectus est, consideraturi in presentiarum, iis, quæ superiori dissertatione de illius cultu, atq; veneratione diximus, sequentia, ἐκβολὴ λόγου, Thucydidis verbo, fortean non inutili, non possumus non addere memorabilia. Nimirum non LUCEM modò ipsam cum Perſis antiquioribus rem omninò divinam, DEUM primum, rerumq; omnium principium propriâ quâdam mentis inductione statuebant Gentiles: sed in corporum etiam lucidorum cultu, Solis nempe, atq; Lunæ, cæterorumq; siderum, omnia religionis suæ studia collocabant penè universi, honoris, quem Luci habebant, testandi gratiâ. Confirmat id ipsum tum Sapientiæ Salomonis Scriptor. c. XIII, 2. Φωστῆρος, inquiens, ἕργων, πρυτανεὶς κόσμος, θεὸς ἐνόμισαν tum Cicero quoq; Libris de Naturâ Deorum, in quibus non tantum imperitum vulgus, sed nobilissimos etiam Philosophos, Zenonem, Crotoniatem Alcmaeum, Parmenidem, Ponticum Heraclidem, sideribus, & errantibus stellis divinitatem tribuisse multis probat. Præprimis verò Solem, quem originem, fontem, atq; apicem Lucis Martianus Capella hymno ad eum L. II. pulchrè appellat, Orbis propemodum universus, velut privilegio quodam, Numinum præcipuum venerabatur: quod argumentum, & Antiquitatem cultûs Solaris, & quàm latè idem patuerit ostendendo, propriè exsequitur ὁ πολυμαθὴς ατ Vossius L. II. Theologiæ Gentilis à cap. secundo ad septimum decimum usq;. Cui adjungi poterunt Joseph. Acoſta Indicorum L. V, 9. Hier. Bentzo L. III, 19. Anton. de Herrera in descript. Americæ, Olaus Magnus L. III, 2. Rerum Gothicarum, & Gerhard. de Veer in descript. Navig. Sept. qui apud Indos tam Orientales, quàm Occidentales, populos etiã Septemtrionales, & qui ad extremã Novã Zemblã

inne-



innotuere, tantam Divinitatis speciem præ se tulisse Luminaria asserunt, ut à plerisque omnibus divino cultu adorarentur. Atque hinc quoque omnia Deorum summa, velut Regi, ac Deorum Maximo, (hoc enim nomine Sol, & Luna Platoni etiam L. VII. de LL. vocantur) Soli tributa legimus, Tempia videlicet, aras, statuas, sacrificia. Apud Persas equidem, qui ceteroquin Solem præ ceteris summam observantiam colebant, nulla eidem Tempia, aut delubra, neque aras, vel altaria posita Historiarum fide constat, cum Soli vix mundum ipsum sufficere putarent, teste Asconio in II. Verrin. nihilominus tamen id aliis gentibus factitatum aliorum commemoratio monstrat. Apud Græcos certe Solis aram exstare autor est Pausanias in Corinthiacis passim, & Vetus Inscriptio: JULIUS. CÆSAR. DEO. SOLI. INVICTO. ALTARE; itemque altera, CAJUS JULIUS. ANICETUS. ARAM. SACRATAM. SOLI. DIVINO. VOTO. SUSCEPTO. ANIMO. LIBENS. DD. comprobat: apud Elmenhorst. Observat. ad Arnob. p. m. 27. itemque Isaac. Grangæum notis ad Prudent. advers. Symmach. pro arâ Victoriæ p. m. 106. De Sacrificiis porro Soli exhibitis res non minus clara est. Athenæus L. XV. Deipnosoph. p. 693. ὡς καὶ τοῖς Ἑλλησιν ὡς θύοντες τῷ ἡλίῳ, ὡς φησὶ Φύλαρχος ἐν τῇ β. τῶν ἰσορῶν, μέλι πένδρον, οἶνον δὲ φέροντες τοῖς βωμοῖς, δεῖν λέγοντες τὸν θεὸν ὅλα συνέχοντα, καὶ διακρατῆντα θεὸν, καὶ αἰεὶ περιπολεύοντα τὸν κόσμον, ἀλλότριον εἶναι μέθης. Ubi Νηφέλιον hoc sacrum vocatum esse, idque non Soli tantum, sed Lunæ etiam exhibitam Jacobus Dalechampius Cadomensis in Notis marginalibus commemorat. Sic à Persis Equum album, Sacrificii loco Soli oblatum equis ignorat? cum pleni sint testimoniorum libri. Conf. Brisson. L. II. de regio Persarum principatu, p. 158. Atque hinc, quod opinamur, equus albus Soli semper alebatur, & apud Curtium in exercitu Darii etiam circumducebatur. Curt. L. III, 3 II. Tempia quod attinet, & illa quoque in honorem Solis exstructa fuisse legimus. Vestigia sanè Apollinæi. h. e. Solis Templi Rhodiæ adhuc monstrari testis est Raph. Volaterranus L. IX. Comment. Urban. p. m. 347. Et de Aureliano Imp. Fl. Vopiscus refert, quod non solum Templum Solis apud Palmyram ab aquilifero legionis tertiæ, vexilliferis, & draconario, cornicinibus, & liticinibus direptum ad priorem formam reddi, restituique voluerit, datâ hæc de re ad Cæjonium Bassum epistolâ, sed quod ipse quoque Templum Solis constituerit postea magnificentissimum, auroque & gemmis ornatisimum: in quo post modum



*Solis, & Belli simulacra ipsum etiam dedicasse Zosimus narrat. Fuisse autem Solis ades rotundas veteres probant: quod ex Hospiniano de Templis p. m. 27. nunc-nuper Stengelius quoque asseruit Hierologiae part. 3. c. 2. p. 54. fidem tamen his aliquantisper derogare videtur numm. antiquus M. Antonii Triumviri, qui simulacrum Solis in medio Templi formae quadrangulae exhibet, apud Guillaume du Choul aux discours de la religion des anciens Romains, p. 208. Caterum statuas quoque Soli erectas vel unicus Rhodiorum colossus in Solis honorem ex aere conflatus, abunde testatur: de quo ad Pancirolli deperdita videndus Salmuth. p. m. 209. seqq. Quamquam & aliam apud Gracos Solis Servatoris statuam extitisse Pausanias autor est in Arcadicis, L. VIII. p. 464. Nec minor apud Romanos Soli honos habitus: apud quos Neronis colossus à Zenodoro factus, damnatis sceleribus illius Principis, demptoque ejus capite, & Solis adjecto cum VII. radiis, Solis venerationi dicatus fuit: referente Schildio ad Sveton. Caesares. p. m. 597. 746. Quorum intuitu Sole ipso meridiano clarius elucet, Solis cultum semper fuisse summum, ac praecipuum, atque adeo Lucis venerationem non minorem, sed aequè antiquam, & magnam. Jam Lunam quoque & reliqua sidera, ipsumque nostrum ignem Numinum divinatorum loco, numeroque Ethnicos habuisse facili negotio ostendere possemus: sed temporis, & characterum angustia exclusi magis oportuna talia reservamus occasione. Propterandum siquidem nobis est ad id, quod ab initio proposuimus. Scilicet quandoquidem priori dissertatione LUCEM, ut qualitas est, corpori lucido infixam manens, consideravimus: posteriori hanc LUMEN, ut LUCIS effectus est, & qualitas inde egressa in perspicuo se diffundens, quantum quidem ejus scire Physici interest, exhibebimus. Quod dum facere aggredimur, nescire nequimus, omnes in hoc mortalium orbe non secus ac in specu esse collocatos, solasque respicere rerum umbras, ideoque ad divinum Phosphorum DEUM O. M. nos convertentes votis eundem devotis obsecramus, ut nobis ad recessus hos frequentandos gratiae suae splendore pralucere dignetur, stylumque, & orationem nostram ita temperet, dum hanc de re disputamus, ne LUCEM fidei natura LUMINE obscuremus! Sequitur nunc*

THE



THESIS. I.

**V**etus Ebræorum adagium est: *Ubi multa pulcritudo, ibi multa deceptio, & ubi multum lumen, multa excæcatio.* Quod ad rem præsentem accommodantes an de quâpiam aliâ meliori jure dici possit penè dubitamus. Est enim LUMEN, judice *Scaligero* exereit. CCCCLXV. l. 7. omnium accidentium naturalium, quæ à supranaturalibus pendent, manifestissimum: verum vicissim tantò obscuræ, & reconditæ naturæ, ut quo plus in eâ provehi sentimus, tanto nos majoribus tenebris involvi videamus: ut rectè de LUMINE etiam usurpari possit rursus illud *Scaligeri*, Exercit. CCCXXV. l. 4. Latere naturam ejus in profundissimâ caligine inscitæ humanæ, Interim animum omninò despondere dedecet, cum scientia partis melior sit ignorantia totius, Candidus, & æquus Lector voluntatem, facultate deficiente, commendabit.

THESIS. II.

Ab initio ergò *An lumen sit?* dispiciendum est. Existimamus autem extra dubitationis aleam rem omnem esse positam, nec quemquam fore integræ rationis hominem, qui ejus existentiam inficiari ault: cum mundum hunc nostratem totum participatione Luminis & visibilem esse, & pulcrum; & corpora, quæ in mundo sunt, tantò esse perfectiora, quantò plus LUMINIS participant, quisque videat. Quin imò Lumen necessariò existere, suppositâ rerum naturâ, neque esse ex eorum genere Entium, quæ contingentem habent existentiam, communis sapientum opinio est, quam quibusdam inductionibus probatam vide apud *Athanas. Kircherum Photosophie* L I. part. I. c. 10. p. m. 31. ubi Lumen Mundo ita necessarium esse, ut sine eo consistere nequeat, apertis verbis asseverat.

THESIS. III.

Quare cum *Tiresiæ* non simus, sed quotidie oculis hæc obversentur nostris, linquimus talia, & gressum promovemus, *Quidditatem* Luminis per *Definitionem*, per quam omnis cognitionis initium lucem sibi, teste Philosopho, foeneratur, contemplaturi. Est autem hæc gemina, *Nominis* prior, posterior *Rei*. Illam nec hæc vice præteribimus: cum sub verborum cortice quandoque dulce lignum lateat, & cum videris unde ortum sit Nomen, citius vim ejus intelligis. Conf. *Scalig. c. IV. de Causis LL.*



#### THESIS. IV.

Absolvitur autem illa vel Etymologiâ, vel Homonymiâ, vel Synonymiâ denique. Etymologiam quod spectat, *Lumen* derivant à verbo *Luceo*, quod à *Luce* est. Quæ originatio *Becmanno* placet de *Originibus*. p. m. 460. Qui præeuntem habuit *Magnum Scaligerum* exercit. LXXI. f. i. qui, *A Luce*, inquit, verbum *Luceo*, à verbo *Lumen*: pari fluxu, atque proportionem, quâ multa alia, v. gr. *Numen*, *flumen*, *fulmen*. &c. nata esse eruditi non ignorant. Græcis  $\Phi\omega\varsigma$  dicitur,  $\omega\delta\alpha\tau\omega\ \Phi\acute{\alpha}\epsilon\nu$ ; quo vocabulo utrumque & id, quod in corpore Solis est, & hoc, quod à Solis fluit corpore, exprimunt. Creditque *Scaliger*, quod minus subtiliter considerantes putarint esse idem. At Latini longè exquisitius. Etenim Græcâ voce, *Lux* ab illis dicta est hæc vis, quæ esset in corpore lucido, & veluti radix emissi luminis. At hujus divini accidentis sive speciem, sive effectum, qui in aere ita videtur, ut alibi terminetur, & faciat visibilem superficiem per colorem, hanc, inquit, effectum, *Lumen* appellarunt. Hæc *Scaliger*, ubi porrò, *Lucis*, ait, opera est lucere, opus *Lumen*, quasi *Lucimen* quem admodum *Luna*, quæ prius *Lucina* fuit.

#### THESIS. V.

Secundum *Homonymiam* Luminis vocabulum accipitur vel propriè, vel impropriè. Minus propriè varios apud varios autores significatus habet, & ferè omnes illos, quos superiore exercitatione *Lucis* vocem obtinere ostendimus. Sigillatim omnes recensere operæ non est, famosiores itaque seligimus. Ponitur autem (1) pro *Die*. Ennius in *Medeâ*: *Si te secundo lumine hic offendero, moriere*, & *Virgil. L. VI. Æn. v. 356.* — — — — *vix lumine quarto*  
*Prospexi Italiam. &c.*

(2.) Sic *Oculos* hæc voce notari legimus non apud Oratores tantum: *Cic. in Tuscul. Democritus luminibus amissis, alba scilicet, & atra discernere non poterat*; sed & apud Poetas potissimum, quorum scripta exemplis abundant. *Virgil. L. III. Georg. v. 433.* de angue ait,  
— *Flammantia lumina torquens*  
*Exiit in siccum. h. e. emissitios oculos; & luminis puncta vertiginans*, ut *Plautus*, & *Tertullianus* in re non multum absimili loquuntur. Et *Ovid. l. I. Metam. v. 625.*

*Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.*

(3) Pro



(3) Pro *candelâ, face, aut tæda* quandoque usurpatur. Quemadmodum enim Latini *ad lucem* quum dicunt, tempus diluculi intelligunt, vel quod proximè diluculum antecedit: ita cum *ad lumina*, tempus quo lucernæ accenduntur denotant. Sic *accendere lumina, eademque exstinguere* apud Curt. l. VI, 8. 17. & l. X, 5. 16. legas. Apud Tacitum l. XIV. Ann. c. 8. 4. *Cubiculo modicum lumen inerat.* Ubi notandum, quod Romani lumen non exstinxerint, sed per se extingvi, ac deficere permiserint. Porro *faces*, quibus viatores usi, Turnebo teste l. III. Advers. c. 22. *lumina* dicuntur Sveton. in Cæs. c. XXXI, quæ exstinguebant vel viâ, occultissimum iter ingressi, decedentes, quod sæpè factum historiam testari notat h. l. Schildius p. m. 35. vel fugâ sibi consulentes, veluti prætorix navis lumen à Pompejo exstinctum, ut ne noctu, quo fugeret, id indicaret, legimus apud Florum l. IV, 8. 5. (4) *Fenestram* quoque lumen notat: atque in hâc significatione non rarò à Scriptoribus usurpatur: exempla non proferimus, remittentes Lectorem ad Turnebum. l. VIII. Advers. c. 13. (5) *Solem, & Lunam* lumina appellat Virgil. l. I. Georg. v. 5.

— — — Vos ô *clarissima mundi*  
*Lumina*, labantem cælo quæ ducitis annum:  
 quæ Ptolomæus, & Trismegistus *Φωσῆρας* quoque, & *Φῶτα* nuncupant. Et quamvis Probus, Macrobius, & hos secuti, *clarissima Lumina*, Liberum, & Cererem appositivè hic dici autumant: Eruditi tamen plures hæc distinguenda censent, quod monet Taubman, h. l. p. m. 107. 108.

#### THESIS. VI.

Filum Homonymias hîc abrumpere constitueramus, verum præter spem plures legentibus sese spontè offerunt significationes: adeò hæc vox est *ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων*. Notat igitur, (6) *Colorem*, haud infrequenti bonis autoribus acceptione: atq; hoc sensu *Chlamides veri luminis* apud Trebellium Pollionem in Claudio Turnebus putat esse *veri Coloris*: ut si purpureus color sit, is sit luminosus, nitidus. L. XXX Adv. c. 21. (7.) *Nimbus*, qui cum Numinibus semper est apud Virgil. L. III. Æn. v. 151 Conf. Taubman, h. l. p. m. 506. (8.) *Lumina* vocantur *Viri insignes, atq; clari*. Sic *alterum Imperii Romani lumen Pompejus* dicitur Paterculo L. II, 52, 2. Ipse enim, & Cæsar Principes in Rep. Romanâ erant, & quasi oculi Imperij: quali

figu.



figurâ fermè Athenæ, & Sparta duo Græciæ oculi apud Justin. L.V, 8. 4. Quin & Tiberius, resp. Augusti scilicet, verè alterum Reipubl. lumen, & caput appellatur eidem Vellejo L.II. 99. 1. (9.) Aërem etiam, quem spiramus, vel quo aspiramur Lumen significare indicat Taubman. Comment. ad L.III. Æn. v. 600. p.m. 545. (10.) Lumen & umbra picturæ quoq; vocabula sunt. Opacitas enim, quæ atro efficiuntur colore, Umbra nomen obtinuit: claritas quædam, quæ candido præstatur colore, Luminis. Plin. L.XXXV, 5. Tandem ars se ipsa distinxit, & invenit LUMEN, atq; UMBRAM differentiâ colorum alternâ vice sese excitante. Atq; hinc Illuminare pictorum quoq; verbum est, quo significant se argumento, quod depingunt, addere lumen, ut pictura clarior eluceat, atq; emineat. Cicero in Bruto ad orationem transtulit: ubi, Illuminare sententias dicit, figurâ quâdam exornare, ut lumine excitatur, exornaturq; tabula picta: quæ iterum observat Sol Philologiæ Turnebus L. XVIII, c. 20. & L. XXVI, c. 12. Advers. Atq; hoc sensu Rhetorum ornamenta, Græcis *χρηματα* dicta, Lumina Orationis sunt Ciceroni de Orat. Sed abstinemus manum, nec plures significatus frustraneo forsan labore nunc accumulamus: Illum solùm addimus, quo deindè (II.) Propriè hæc vox, & ad propositum nostrum accommodatè *aspectabilem illam à Luce prognatam, & per diaphanum medium longè latèque diffusam denotat qualitatem, quâ præsentem illustrantur corpora, absente tenebris involvuntur universa.*

#### THESIS. VII.

Superest *Synonymia*; verum de hæc non est, quod simus solliciti: cum *Univoca* Lumen non habeat. Equidem non rarerè Lux quoque propter subjecti realis identitatem quibusdam appellatur: verùm & res ipsa, & nominum vis distincta esse hæc vocabula comprobatur: itaq; inter acceptionem vulgarem, quâ non differunt, & inter accuratam, quâ multis modis, quod alibi ostendimus, distinguendum erit. Cæterum Lumen hic solum consideramus quoad *ejus entitatem*, genuinamq; illi, ac patriam sedem Naturalem adjudicamus Scientiam: quatenus enim respectu *quantitatum*, quas recipit, considerari potest, ad Opticorum illud speculationes, quibus frenos laxare nunc non est animus, pertinet, qui ad *Perspectivam*, ut vocant, *doctrinam* referunt.

THE-



THESIS. VIII.

Haecenus de *Nomine*: nunc ad *Rei Definitionem*, quæ perfectum cognoscendi principium est, a iente Philosopho L. VI. Topic. c. I. progredimur. Est ergo *Lumen qualitas à luce in corpore perspicuo ad illustrandum illud diffusa*. Quæ definitio quatuor absolvitur terminis, *Genere* videlicet, *Causâ*, *Subiecto*, & *Fine*: de quibus mox plura ordine subjungemus, ipsamq; postmodum dissertationem, bono cum DEO, absolvemus.

THESIS. IX.

Suppeditat quidem ipse Stagiritis noster aliam nobis Definitionem. L. II. de An. c. VII. t. 69. quando τὸ φῶς ἐνέργειαν esse dicit ἢ διαφανῆς, ἢ διαφανὲς. h. e. *Actum perspicui, quatenus perspicuum*; *Actum* nimirum, quia intrinsecam aliquam adfert perfectionem, cui inest, & ad perspicuum se habet ratione formæ: quemadmodum v. gr. albedo est albi actus, qua talis, h. e. corpus constituit actu, & formaliter album: & quemadmodum anima, quam supra similiter. c. I. t. 6. hujus libri definit, reverà nihil aliud est, quàm actus, quo corpus vivens, est vivens; ita & Lumen nihil aliud est, quàm actus, quo perspicuum est perspicuum, h. e. illustratum, aut splens, secundum Ruvium l. II. de An. c. 7. in textu; quia verò Lumen ibidem non *absolutè*, & in naturâ suâ, prout propositum nostrum exigit, sed *respectivè*, quatenus nempè inservit visui juxta Javell. l. II. de An. c. 29. p. 649. definit, Aristotelicam hanc, eam ipsam ob causam, retinere non possumus: Siquidem absq; *ἕσος* illâ Lumen nequaquam ἢ διαφανῆς actus est, cum illud naturam suam absolutam retineat tam sub tenebris, quàm sub lumine. i. e. sit, & dicatur diaphanum, sive illuminatum sit, sive tenebris obscuratum, ut rectè sentit Zabarell. l. I. de Visu. c. 3. ideoq; illam priorem posuimus.

THESIS. X.

In quâ primò considerandum *Genus* est: de quo tot sunt, tamque diversæ Philosophorum tam veterum, quàm recentiorum sententiæ, ut ne quidem Hercules ipse cum iis lucturi sufficiat. Quoad *Antiquiores*, quidam eorum *substantiam* primò corpoream *Lumen* esse voluerunt: idq; aut simpliciter dixerunt esse *Corpus*, quæ Empedoclis Agrigentini opinio fuit, attestante Zabarell. l. II. de An. t. 70. p. m. 571. aut *Ignem*, vel *ejus speciem*, quod Platonis placitum fuisse



ex Timæo colligere est, quando modū visionis explicans, effluere, inquit, ex oculis radios igneos, & iis occurrere radios aëris diurnos, ex iisq; ambobus unum unius naturæ corpus coalescere, quod facit visionem: unde videre licet, illum existimasse de omni lumine, quod sit ignis defluens à corporibus; aut ἀπορροήν postea σώματος, sive corporis defluxum Lumen esse putarunt, quemadmodum Aristoteles refert l. II. de An. t. 69. Quæ sententia Democrito assignatur, & Leucippo, atque Epicuro: qui dari ex corporibus defluxus quosdam, qui essent tanquàm exuviæ, & simulacra rerum, opinati sunt: latius eorum mentem explicat Lucretius l. IV.

*Præterea si quæ penitus corpuscula rerum*

*Ex alto in terras mittuntur, Solis uti Lux,*

*Ac Vapor, hæc puncto cernuntur lapsa diei*

*Per totum cæli spatium diffundere sese,*

*Perque volare mare, ac terras, cælumque rigare. &c.*

Quidam deinde Lumen Substantiam incorpoream esse dixerunt: cuius sententiæ post Avicennam part. III. c. 2. in VI. Natural. obiter saltem mentionem quoque facit Zabarella l. I. de Visu c. 5. Quanquam nec desunt qui Lumen Substantiam q̄s. medio modo inter corpoream, & incorpoream se habentem autumarunt: quos hodiè sequitur Goclen. in Phys. disp. p. 331.

#### THESIS. XI.

Atque hæ sunt Veterum opiniones: quarum posteriores vel inde à veritatis scopo aberrare liquet, quia Lumen oculo corporeo videtur; & à corpore etiam quoad fieri, esse, & conservari dependet: quæ omnia substantiis incorporeis non competunt. Bartholin. Physic. Major p. m. 133. Priorem autem sententiam, quæ famosior est, negat ipse Peripati Princeps l. II. de An. t. 69. quando τὸ Φῶς ἔτε πῦρ, ἔθ' ὀλως σῶμα ἔτε ἀπορροήν σώματ' οὐδενός esse dicit: & affirmativam defendentes gemino argumento confutat: primò, quia cum Lumen recipiatur in aere ad præsentiam lucentis, & nō videmus aerem cedere, duo corpora essent simul, & quidē sese penetrantia: quod ἀδύνατον, quē admodū probatum est l. IV. Phys. c. 6. t. 53. secundò, si lumē esset corp⁹, illuminatio esset motus localis, quod est falsū quia omnis motus localis ob mediū corporis resistantiam fit in tempore, ut habetur l. VI. Phys. c. 7. t. 60. Illuminatio autē sit in instanti, atq; adeò lumen subito abs-



absq̄. e tempore (in momento) & vix perceptibili motu ab ortu in occasum transfunditur. Nec consideratione dignum hoc in loco Empedoclis effugium, *lumen* scilicet nos fugere, & propter celeritatem à nobis non animadverti; hoc enim ὡσαύτῃ ἐν τῷ λόγῳ ἀλήθειαν, καὶ ὡσαύτῃ τὰ φαινόμενα esse affirmans Aristoteles inquit: ἐν μικρῷ μὲν γὰρ διαστήματι λάθοι ἂν ἀπ' ἀναλήτης δὲ ἵπτι δυσμάς τὸ λαυθά-νεϊν, μέγα λίαν τὸ ἀίτημα. *ibid.* t. 70 hoc est, *in parvo enim spatio lateret nos: ab ortu ad occasum latere, magnum nimis postulatum est.* Conf. Zabarell. l. II. de An. c. VII. h. t. p. 571. Piccol. de Sensu Visus c. 7. & 8.

THESIS. XII.

Præterea quod *Lumen* non sit *Ignis*, nec ejus species, ut præter ipsum Platonem Proclus quoq; c. 3. Comm. in Timæum statuit, inde patet: quia non posset lumen in glacie manere, & maximè deindè ab aquâ exstingueretur, si ignis esset: (vel duo contraria essent simul in eodem subjecto) Sequeretur etiam quædã noctu lucentia, ut squamæ, quercus putrida, & alia, quæ L. II. de An. t. 73. recensentur, esse ignea; quod risu excipiendum omninò. Bartholin. Physic. Major. p. m. 135. Postremò effluxus corporis absurde etiam dicitur. Non enim effluit lumen à corpore luminoso. v. gr. Sole per resolutionem, ut odor à pomo, sed sine ullâ lucidi aut passionis, aut virtutis qualitativè imminutione: cæteroquin Sol perenni fluxu luce suâ exhaustus esset. Conimbr. L. II. de Cælo quæst. 2. art. I. p. m. 317.

THESIS. XIII.

Nèq; verò sententia nostra, *Lumen non est Corpus*, veritati conformis ideò haut est, quod nescio quas corporum notas in radiis præfertim, dum moveri illos, sisti, percuti, atq; reflecti animadvertimus, observare licet: hæc enim duntaxat ἀναλογικῶς, & per proportionem quandam de Lumine, radiisq; dicuntur. Etiam si enim nobis videatur *Lumen* pedetentim accedere, & recedere, vel moveri: illud tamen ὄντως revera non fit, sed saltim φαινομένως, apparenter; quia potius fit productio, & promotio Luminis dependens integra à progrediente luminoso. Quid? quod species maximè sensibiles ejusmodi lusu corporum mores quidem imitantur, ideò tamen corpora non sunt, Conf. Conimb. l. c. p. m. 318.

THESIS. XIV.

Inter recentiores Philosophos, qui assertionem hanc, *Lumen*



*eil. substantiis corporeis debere accenseri, sustinere auri sunt, familiam ducit Franciscus Patricius, Philosophus eminentissimus, & in Romano Gymnasio Professor celeberrimus, qui Luminis naturam ex sententiâ suâ explicans L. IV. Panaugia, Corpus illud esse, sed incorporeum statuit, immateriale, & trinè dimensum: & formam tantum esse, ab alio quidem pendentem, in se tamen subsistentem & substantialem. Deindè verò Lumen qualitatem esse multis rationibus negat: ad quas cum jam responderint Timplerus Phys. General. C. VII. quæst. 1. & Wendelin. Contempl. physic. sect. 1. part. 1. c. 21. prolixius hæc allegare nolumus. Nostro seculo effluxionem substantialem idem esse tuetur Petrus Gassendus in Philosoph. Epicuri. p. 264. qui tamen ad manus nunc non est.*

THESIS. XV.

Quicquid verò sit, *Qualitatem nos esse Lumen asseveramus: eum enim, quod modò dictum, nec substantia sit corporea, nec incorporea, ideoq; Accidens erit: cum verò præter Qualitatem nullum sit Accidens activum; Lumen autem agat, qualitatem illud esse relinquitur. Et rectè quidem, cum à Lumine diaphana corpora habeant, ut qualia dicantur. Ad quam verò qualitatis speciem referri debeat, videbimus. Toletus in q. ad c. 8 Cateus. in prima specie Lucem, & Lumen reponi posse arbitratur, ut Lux habitus sit, Lumen autem dispositio: verum quoniam vel ideò qualitates in quatuor classes herciscuntur, ut in prioribus potentia collocentur, in posterioribus actus: Lux autem, & Lumen actus sint, hoc perspicui, illa corporis lucidi, igitur inter qualitates tertiæ speciei, passibiles nempe illas, quæ passionem efficiunt in sensu, Lumen quoq; numeramus: & quidem ut qualitatis latitudo ad τὸ ἀεὶ ὄρατος restringatur, illustrativam, hoc est, quæ aërem, & transparentia reliqua illustret, claraq; & actu secundo perspicua efficiat, qualitatem esse pronuntiamus.*

THESIS. XVI.

*Utrum verò Lumen qualitas sit realis, an verò intentionalis? seu, quod idem est, An habeat esse reale, vel intentionale, hoc est, an solum imago, vel res sit? illustris inter Philosophorum subsellia quæstio agitur, dissentientibus hic vel maximè Aristotelis interpretibus. Rem esse multi haut vulgares philosophi affirmant, dicentes, Lumen per se ipsum videri, & non per speciem: quia cum sit perfectiss.*



perfectissima qualitas, ita est realis, & naturalis, ut contineat etiam perfectionem aliarum qualitatum: deinde verò actiones quoq; reales habere volunt: qualis itaq; actio, talis res: siquidem illa proportionatur agenti. Philop. in *disp. contra Proclum.* c. 7. & 8. Thomas. P. I. quæst. 67. art. 3. Contra alii non minus gravissimi viri *Lumen habere esse intentionale*, hoc est, per speciem videri adstruunt: existimantes: quæcunq; Luminis essentia sit, à sole illam derivatam, & illius representationem quandam esse: unde etiam intentio, & imago solis dicatur. Præ reliquis verò omne τὸ εἶναι Lumini adimit, *puram putam intentionem illud esse asserens*, Pseudo-Ægidius Romanus ad L. II. de An. t. 77. dubitat, 2.

#### THESIS. XVII.

Verum, quanquam Lumen speciem, s. representationem, atq; præsentiam dici posse simpliciter non negamus, præsertim cum ipse quoq; Aristoteles *de sens. & sensil.* c. 3. §. 3. idem factitasse videatur, nostra tamen sic est sententia: ut sicut duæ fuerunt viæ Thebis Athenas, & Athenis Thebas, quæ videbantur contrariæ, & tamen respiciam ad eandem urbem utrinq; viatores deduxerunt: quâ similitudine utitur Casus *L. VI. Physic. c. 1.* ita hæc duæ opiniones videntur quidem sibi oppositæ: si tamen rem probè consideres, ad idem tendunt. Neq; enim absurdum est, *idem & Rem esse, & Rei speciem, seu intentionem*, quoniam hoc non dicitur respectu ejusdem. *Lumen enim res* vocatur in relatione ad suum subjectum, cui verè, & realiter inhaeret, & quia in natura existit, & actiones suas habet: *intentio* autem ratione Lucis, sive Solis, quem representat. Atq; mediam hanc sententiam amplectuntur Scotus *L. II. sentent. distinct. 13. quæst. un. art. 2* Joannes Baconius, & Durandus: quam latius pertractatam vide apud Philosophum Patavinum *L. I. de Visu. c. 6. & 7.* Sennert, *Epit. Natural. Scient. L. II. c. 2. p. m. 158.*

#### THESIS. XIX.

Atque hæc de *Genere* dicta sufficiant: ad *Causam Efficientem*, à quâ Lumen in aere producitur, nunc perpendendam ordo nos deducit. Est autem illa vel *remota & generalis*, Lumen increatum, Deus ter Opt. Max. qui primo statim creationis die nobilissimum hoc accidens creavit, *Gen. I. 3.* vel *proxima, & partialis*, Lux nimirum corporum absolutè lucidorum: ab illis enim Lumen mediante ipsorum inhaerente luce (quæ est forma constituens lucidum in



esse lucidi) in perspicuo per actionem simplicem generatur. Sunt autem lucida corpora, quæ Lucem inhærentem sibi, connatamq; habent, nec ullo unquam tenebrarum horrore infestantur, quæque circumjacentes colores collustrant. Quorum præcipua, maximeque nobilia *Astra, & ignis*. Nam quemadmodum corpora illa cœlestia sunt, eum in finem condita, ut occulta sapientiæ divinæ Sacramenta ex chao, abyssoque tenebrarum eruta manifestarentur: ita Ignis noster usualis lucidum illud corpus sublunare est, lumini cœlestium corporum homogeneous, quod luce suâ omnia undiquaque illustrat: atque hinc non minus verè, quàm eleganter unicum in tenebris commorantibus solatium, Sol domesticus, noctium, & tenebrarum illuminator, Solis, & Lunæ vicarius appellatur. Fulgere equidem in tenebris *carbunculi* quoque, & *ceteri lapides pretiosi* dicuntur: verum hæc lux conformis quidem, non tamen ejusdem prorsus cum alterâ illâ naturæ esse videtur. Nec est, quod Fallopius, c. CCXXXIX. *Secr.* & alii deliquoribus Cicindelærum aliqua sibi miracula spondeant: quasi humor ex illarum materiâ lucidâ expressus, secundum leges certas præparatus, ac phialâ vitreâ inclusus totam domum illuminet: nugæ enim talia sunt inanes, & circumforaneorum, agyrtarumque jactationes, judice Kircherò L.I, *Photophys.* part. I. c. VI. p. m. 24.

TH. XIX. *Quomodo autem à Luce lucidi Corporis Lumen in perspicuo producat? considerandum est. Sanè Δροππὸν, seu effluentia, ut Epicurum, & Democritum voluisse supra diximus, modus productionis hujuscè non est: neq; Πορρὴ, seu successiva luminis à luce per aerem latio, secundum Empedoclis placitum: emanationem igitur ferè incomprehensibilem esse dicendum est: adeò ut meritò Divi Patres nomine, & similitudine ejus ad illustrandas, & declarandas res sacras usi fuerint. Vide hic wendelin. *Contempl. Physic.* I. part. I. c. 21. p. 604. Possis tamen *emanationem representativam* dicere, Kircherus, quo loco de Causâ Luminis Efficiente agit. l. III. c. 10. § 5. p. m. 33. de modo productionis ista habet: *Sicuti calor, inquit, ignis ardentis in rogo speciem sui in aere gignit afficientem homines, ita corpus lucidum simulacrum, & speciem lucis, visibile videlicet lumen in perspicuo producit, ut vultus hominis in speculo sui imaginem: ac veluti coloratum corpus sui imaginem in diaphano illuminato. Sicut verò coloratum corpus imaginem sui fundit in medio non ab uno puncto tantum, sed à totâ superficie: ita lumen lucidi corporis imago non ab uno puncto lucidi corporis, nec ab ejusdem tantum centro, sed à totâ ejus superficie lucidâ diffunditur.* Hæc ille.*

TH. XX. Porro quoniam Lumen à Luce lucidi corporis productum, multiplicatur in Subjecto per *Radios*, de his quoque proluxa disserendi materies suppeteret: verum quandoquidem illud nec instituti nostri ratio hæc vice  
per.



permittit: nobisque constitutum sit peculiari de illis etiam disquisitione agere: eorum considerationem tantisper prætermittimus, nosque ad tertium membrum definitionis nostræ, *Subiectum* scilicet perpendendum, festino gradu conferimus.

TH. XXI. *Subiectum* autem adæquatum Lumen necessariò requirit: cum sit ex qualitatibus, s. accidentium numero, quæ sine Subiecto esse non possunt, argumento textus. 39. L. I. Physic. Illud autem dicimus esse τὸ Διαφανές. h. e. *corpus perspicuum, transparens, sive pellucidum*: cuius descriptionem adfert Aristoteles L. II. de An. t. 68. dum inquit: Διαφανές δὲ λέγω, ὃ ἴσθι μὲν ὄρατόν, ἔκασθ' αὐτὸ δὲ ὄρατόν, ὡς ἀπλῶς εἰπεῖν, ἀλλὰ δι' ἄλλότριον χεῖμα: quo in loco de *perspicuo interminato* illi sermonem esse & Zabarella notat. h. l. p. 559. & clara ipsius Philosophi verba docent lib. de sens. & sensil. c. 3. §. 6. ubi ait: τῆς φωτὸς φύσεως ἐν ἀόριστῳ διαφανεῖ ἴσθι. h. e. Luminis natura in perspicuo interminato consistit. Quibus verbis non obscurè indicat, *duplex* vulgò constitui *diaphanum, sive pellucidum, ὡρισμένον* alterum, *fnitum, s. terminatum*, in cuius superficie lumen terminatur, nec ad interiora eius admittitur: de quo l. c. §. 10. in definitione coloris, quando dixit, colorem esse extremitatem perspicui terminati; alterum ἀόριστον, *indefinitum, interminatum*, quòd omninò Lumini est pervium, & ab opaco immune, secundùm Picol. l. de Sens. Visus. t. IV. in cuius extremitate aspectus non subsistit, sed visu totum com meat, ac pervadit, uti loquitur Colleg. Conimb. L. II. de An. c. 7. p. 217. Atque illius mentionem d. §. 6. expressam facit.

TH. XXII. Priori sensu acceptum Diaphanum, minus præcipuum, ac impropriè dictum Luminis Subiectum est: atque huc referenda Astra, mistum, resque omnes coloribus imbutæ, quæ lumen accipiunt in solâ superficie, seu facie exteriori corporis sui, in quâ lumen terminatur, prohibeturque penetrare interius ob admixtam videlicet densitatem; posteriori autem modo sumptum proprium, & adæquatum Luminis Subiectum est, cuius generis Aer, aqua, vitrum. &c. quæ Lumen intrinsecus admittunt. Ubi notandum tamen non ab illis, sed in illis, tanquam in Subiecto, non à Subiecto, lumen pendere. Atque hujus perspicui natura non consistit in illâ raritate, quæ significat distantiam partium: dantur enim rara, quæ non sunt perspicua, v. gr. Lana, &c. dantur etiam perspicua, & densa, ut Chrystallus, &c. quanquam enim & hæc requiruntur, consistit tamen potissimum in tenuitate, & subtilitate Substantiæ: hæc enim facit perspicuitatem, & per eam Lumen intima penetrat. Conf. si placet, Zabarella. L. I. de Visu, c. 3. p. 865.

THE.



TH. XXIII. Et hactenus etiam de *Subiecto*: reliquum est, ut quartum quoque, & ultimum membrum definitionis nostræ consideremus: quod est *Finis*. Est autem Luminis finis vel *immediatus*, vel *mediatus*. Immediati, seu proximi finis mentionem fecimus expressè illis verbis, quando lumen *ad illustrandum perspicuum* produci diximus. Est ergò ille *Illuminatio*, quæ alteratio quædam est subtilis, & spiritalis subiectum à tenebris vindicans. Quæritur autem hîc: *Utrum illa fiat in instanti, nec nò?* Negativam tueri videtur Scaliger *Exerc. CCXCVIII. s. 2.* quando valdè ambiguum esse rem dicit asserere, Lumen instantaneo motu ferri ab ortu in occidentem: verum affirmativam in dubium nò esse vocandam, præter sensum, & experientiam, quæ Lumen absq; successivâ partium occupatione. h. e. puncto temporis moveri prodit, ex eo etiam cognoscitur, quod nec ex parte luminis, nec ex parte perspicui aliquid sit, quod illuminationi *εν τῷ ὄντι* remoras injicere possit. Vide Interpretes Aristotelis passim.

TH. XXIV. *Mediatus* finis rursus duplex est, *absolutus*, & *respectivus*: respectivus quidem, quantum ad Visum attinet: ubi quæritur: *An lumen necessarium sit solum illuminandi mediæ causâ, an solum gratiâ objecti. i. e. Coloris, an propter utrumq; vel etiam propter organum Visus?* sed cum controversia hæc hujus loci non sit, ideoque ejus participes nos nunc non facimus. *Absolutum* finem *Calefactionem* esse volunt: verum & in hoc, *An nimirum etiam calefactionem vim Lumen habeat?* Philosophi sententiæ non minus incerti sunt, quam si fors quædam esset ex adyto Apollinis edita. Quemadmodum nec minor obscuritas, & difficultas *circa modum illius calefactionis* explicandum deprehenditur: quem ipse Princeps Scholæ Peripateticæ se nescire tacendo confessus est. Si cui tamen libido est dissentientium conflictibus interesse, adeat Dd. *Comimbr. L. II. de Cælo. c. VII. quest. 5.* Javell. *L. XII. Metaph. quest. 13.* wendelin. *Contempl. Physic. s. 1. part. 1. c. 21 p. m. 607.* Bartholin. *Physic. Major. theor. XIII p. 147.* Nos nihil addimus: malumus enim dubitare de occultis, quam litigare de incertis. Si quid dictum est, quod nec sufficere Æqui Lectoris desiderio possit, nec placere, illud omne indigentia nostræ esse ultrò fatemur, pleniorēq; ab aliis informationem expectamus. Cæterum more solenni sequētia subnectim⁹

EPIMETRA. 1. *Bucephalus à capite bubulo nomen non habet.* 2. *Conclusio est pars Syllogismi.* 3. *Melior est Orator mutus, quam malitiosus.* 4. *Omne Ens positivum est bonum.* 5. *Natura intendit corruptionem.* 6. *Tripudium Solis in paschate orientis fabula est ad cunas ableganda.* 7. *Virtus non cadit in bruta.* 8. *Etiam peregrini in Republ. ferendi sunt.* 9. *Publica institutio præferenda est privata.*

F I N I S.



ULB Halle  
006 691 277

3



1017

7











77

Σὺν ἑσῶ ἀποφασί!  
THEORIAM  
LUMINIS

autoritate, & decreto

Inclutæ Facultatis Philosophicæ

*Pro Loco*

in eadem consequendo

P. P.

M. JOHANN-CHRISTOPHORUS

Lichtner /

Bohemus, Collegii Principis Collegiatus.

a. d. XVI. Decemb.

H. L. Q. S.

L I P S I Æ,

*Charactere Wittigauiano*

A. O. R. cl. l. c. LIV.

2

